

# PHILIPPUS ARGELATUS

## BONONIENSIS

LECTORI HUMANISSIMO

S. P. D.

**D**Ederat Clariss. Ludovicus Antonius *Muratorius* in Tomo III. suæ collectionis *Rerum Italicarum Pontif. Romanorum* vitas à S. Petro usque ad Johannem XXII. ubique manum cohibuerat, quod nimiam in molem liber excrevisset si ad tempora sibi designata Summorum Pontificum seriem deducere voluisset; quamobrem ad alium Tomum posteriorum Pontificum vitas amandavit, qui nunc in lucem prodit.

Novisti jam ante, Lector eruditissime, cum dictum tertium Tomum evolveres, quale fuerit doctissimi viri consilium in attendendis enarratis vitis, nempe ut à vetustioribus Scriptoribus, & quantum per Scriptorum raritatem liceat, à Synchronis Auctoribus puriorem historiæ veritatem, expunctis malignorum & vulgi fabulis, acciperes; quamobrem ex pluribus variorum monumentis continuam vitarum seriem composuit. Eâdem diligentia novum hunc qui tertium subsequitur Tomum nuper absolutum concinnavit; itaut vix altera uberior collectio, melioribusque historicorum scriptis probanda inveniri unquam possit, & ad veritatem investigandam accommodata.

Usus est *Muratorius* vel ad unius Pontificis vitam cognoscendam variorum Scriptorum libris, ut unus alteri lucem, vel supplementum præstaret, ac per congruas temporum sedes collocavit:

**AMALRICO** primum Augerii de Biterris Ord. S. Augustini, isque chorum ducit ab ipso Joanne XXII. usque ad Pontifices eos, quorum gesta in commentarios redegit, & licet Auctor iste lucem viderit opera Joannis Georgii Eccardi in Tomo II. Corp. *Hist. Med. Ævi*, secundas castigatiores curas nactus est ex præstantissimo Codice Bibliothecæ Christianissimi Regis, unde nostrum allatum est exemplum.

Sequuntur deinde ceteri, quos elenchi soliti loco appellasse fuerit fatis, cum eorum pretium eruditione tua facile cognoscas. Ii vero sunt:

**ANONYMI** vita *Symmachi* ex Cod. Capituli Veronensis à Clariss. Viro Canonico Blanchino edita.

**FRODOARDI** *Fragmenta de Romm. Pontif.* à P. Mabilonio jamdiu vulgata.

**EPISTOLÆ** Codicis Carolini ex MS. Cod. Bibliothecæ Cæsareæ à Clariss. Lambecio iterum edita.

**NICOLAI I.** vita ex MS. Cod. Vaticano, Auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano.